

Die Urkunden Karls des Großen, 305

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Karolus dei gratia imperator Francorum et Longobardorum ac patricius Romanorum. Notum fieri volumus omnium fidelium nostrorum tam praesentium quam futurorum industriae, quoniam veniens de partibus Hispaniae Attala venerabilis abbas et Agobardus secum habens et servos et liberos retrahere se a societate nefandae gentis volentes confugerunt ad nostram celsitudinem suggerendo camque deprecatus est praedictus abbas imperialem clementiam, ut in Septimaniae confinio ea, quae de eremo trahere aut cultum potuisset aut emere, licentiam habuisset. At ille primitus veniens in confinio Petralatens seu in locum, ubi vocabulum est Magregesum, invenit ecclesias, quae ab antiquitus fuerant fundatae, sed a paganis erant destructae: unam in honore sanctae Mariae, alteram in honore sancti Stephani et in alio loco, ubi vocabulum est Sanctum Fructuosum, et in cacumine montis, ubi dicitur Sanctum Petrum, et in alio loco ad illam garricam, ubi dicitur. Ad ipsas curtes et ipsas condaminas. Deinde pervenit in comitatu Reddense, cepit monasterium sancti Polycarpi construere et fecit ecclesias et plantavit vineas et perduxit ad culturam. Petit idem venerabilis Attala abbas celsitudinem nostram, ut praedictas cellas, quae superius sunt nominatae, cum monachis ibidem deo servientibus concedere deberemus ad domum sancti Polycarpi martyris. Quod admodum libenter acquievimus petitione eius, quatenus deinceps sub nostra defensione et immunitatis tuitione memoratas cellas ad domum sancti Polycarpi consistere cum omni ad se pertinentia possideat quieto ordine. Proinde hoc nostrae auctoritatis praeceptum scribere iussimus, per quod constituentibus decernimus, [ut] in nostra nostrorumque successorum tuitione in perpetuum permaneat, videlicet ut nullus iudex publicus neque quilibet ex iudiciaria potestate aut ullus ex fidelibus nostris tam praesentibus quam futuris in iam praedictas cellas vel loca seu agros seu reliquas possessiones, quas moderno tempore in quibuslibet pagis ac territoriis infra ditionem imperii nostri possident vel quae deinceps divina pietas ibidem augere voluerit, ad causas audiendas vel freda exigenda aut mansiones vel paratas faciendas aut fideiussores tollendos aut ullas redibitiones aut illicitas occasiones requirendas nostris futurisque temporibus ingredi audeat vel ea, quae superius memorata sunt, penitus exigere praesumat; sed liceat memorato abbati suisque successoribus res eiusdem [monasterii] supradictas cellas cum omnibus ad se pertinentibus sub tuitione atque immunitatis nostrae defensione remota totius iudiciariae potestatis inquietudine quieto ordine possidere, quatenus servos dei, qui ibidem deo famulantur, pro nobis coniuge proleque nostra et stabilitate totius imperii a deo nobis conlati domini immensam misericordiam iugiter exorare delectet. Et ut haec certius credantur, de anulo nostro iussimus sigillari.

Signum Karoli gloriosissimi imperatoris Francorum et Longobardorum ac patricii Romanorum.

Se. recognovit.

[Data] anno Christo propitio DCCXLIII et imperii domini Karoli gloriosissimi imperatoris XLIII, indictione XIII; actum Antoniaco palatio; in dei nomine feliciter amen.